

22.

22.



C. B. D.  
EXERCITATIO. JURIS. CANONICI.  
*De.*

# BANNIS NUPTIALIBUS.

Von

Abf<sup>ü</sup>ndigung oder Aufgebot  
der Ehelich - Verlobten/  
*QUAM.*

JUSSU. ILLUSTRIS. JCTOR.  
ORDINIS. IN. ACADEMIA. LIPSIENSI.  
PRO.

LICENTIA. DOCTORALI.  
IN. INTROQVE. JURE,  
VENTILANDAM. PUBLICE. EXPOSIT.

AD. D. IX. MARTII

Jo. FRANCISCUS. BORN. LIPSIENSIS.

Ao. R. M. DC. XCIII.

---

L I P S I A.  
Literis. ANDR. MART. SCHEDII, 1716.

---

EXERCITATIO. IURIS CANONICI  
BARTUS NIPITALIUS

Si Ceteris quibusdam  
in Ceteris quibusdam

in Ceteris quibusdam  
in Ceteris quibusdam



C. B. D.  
EXERCITATIO  
**JURIS CANONICI,**  
*De*  
**BANNIS NUPTIALIBUS,**  
*Bon*  
**Abfkündigung oder Aufgebot**  
**der Ehlich Verlobten.**

Ingressus dissertationis. §. 1. Bannum quam varie accipiatur tradit. §. 2. Banna nuptialia describuntur. §. 3. Sedes hujus materiæ indicatur. §. 4. Originem bannorum nuptialium a Gallis repeti, eorumque usum postea per Concilium Lateranense ad universam Ecclesiam extensem perque Tridentinum stabilitum esse recenset. §. 5. Hæc banna in locum notificationis matrimonii, in primitiva Ecclesia receptæ, quodammodo successisse afferitur. §. 6. Eorum Justitia adversus Petrum Lombardum defenditur. §. 7. Subjectum activum bannorum est Parochus. §. 8. Subjectum passivum sunt personæ matrimonium contrahentes. §. 9. Formam impetrandæ proclamationis refert. §. 10

A 2

For-

Formam illius expedienda quoad inquisitionem p̄mittendam. §. 11. Ipsam vero denunciationem ejusque formulam. §. 12. Modum banniendi, viva scilicet voce. §. 13. Locum convenientem. §. 14. Tempus congruum. §. 15. Numerum proclamationis. 16. Formam probandæ proclamationis expedit. §. 17. Finis bannorum nuptialium exponitur. §. 18. Effectus Bannorum nuptialium constitut in eo, quod habent vim trinæ peremptorie citationis. §. 19. accusatione legitima intercedente copulatio sacerdotalis a Pastore denegatur. §. 20. liberi, copula sacerdotali post eadem subsecuta, nati regulariter habentur pro legitimis. §. 21. ubi p̄ prejudicium. Contrarium legi de bannis faciendis esse omissionem per contemptum factam, sed ob eam tamen nuptias consummatas non esse nullas, ostenditur. §. 22. Pariter adversari eidem dispensationem superioris traditur. §. 23. 24. Interim, omisis vel contractis hisce proclamationibus, si facta sit Copula Sacerdotalis, nondum penitus cessare actionem desponfu deducitur. §. 25.

**D**E Bannis Nuptialibus Exercitatione hac A-  
cademica acturus, de ipsius vocis significatione ordi-  
endum mihi esse duxi.

II. Est autem Bannum vel Bannus barbara vox, Longobardis potissimum familiaris, varia & diversissima notans. Sæ-  
pisime pro citatione & edicto sumitur, a verbo bannire, quod  
idem atque citare & convocare est, derivatum; hoc bannire  
autem a banneria, seu vexillo, nomen sortitum creditur, sci-  
licet quod, ut nonnullis visum est, in judiciis exercendis, ve-  
xilla, citationis causa, adhiberentur post Gail. de pace publ. l. 2.  
c. i. n. 7. ulricus Obrecht de vexillo Imperii, c. 6. n. 6. quod ta-  
men suo loco relinquo. Apud Romanos utique olim, cum  
centuriata Comitia haberentur, vexillum, populo convotan-  
do,

d o, in Janiculo statutum confirmat Oratio Postumii Consuliis ad Quirites apud Livium L. 39. c. 15. qua ipsis Bacchanalium furores, & propter ea temerarios conventus exprobrat: *Majores vestri*, inquit, *ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito, Comitiorum causa, exercitus eductus effet, aut plebi concilium tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere voire voluerunt.* In specie Heribannum, quod etiam eribannum & herebannum scribitur, vel pro citatione aut vocatione ad exercitum & expeditionem militarem, vel pro pecunia ob declinatam expeditionem militarem solvenda, in Legibus Salicis & Longobardicis legitur: *Ita Imperator Carolus Leg. Longobard. lib. 1. t. 14. § 13.* loquitur: *Quicunque liber homo in hoste bannitus fuerit, & venire contemnerit, plenum eribannum componat secundum Legem Francorum, id est 60. solid. solvat; aut si non habuerat, unde illam summam persolvat, semet ipsum per vvadium in servitio Principis tradat, donec per tempora ipsum bannum ab eo fiat persolutum, tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur.* Goldast. Collect. Consuetud. Et Leg. imp. p. 24. Lindenb. C. Leg. Ant. p. 539. jung. Capitula, que ad Legem Salicam Dominus Augustus Carolus proponendo addere jussit. rubr. item alia capitula. § 12. de herebanno volumus. ap. dict. Frideric. Lindenbrog. in Cod. Leg. Antiq. p. 355. it. Capitular. Caroli M. Et Ludovici Pii libr. 5. cap. 283. verb. ut illi qui heribannum solvere debent. Deinde banna dicuntur citationes & Edicta, in quibus poena certa in contrafacientes, aut contemptores, statuta, sic bannum mittere est mittere mandatum penale, in Capitulat. Carol. M. de partibus Saxon. c. 31. ibi: *deedimus potestatem eomitibus bannum mittere de majoribus causis in solidis 60. de minoribus vero causis in solidis 12. & bannitum accipitur pro iussu sub certa poena facto, hinc jejunium bannitum in Syzando Saleguntadiensi causi. 15. pro eo jejunio, quod sub certa poena*

indictum aut injunctum. Amplius pro pena ipsa sub qua  
jussio facta est; sic in Legibus Longobardicis Bannus Domi-  
nicus seu Regius , pro mulcta sexaginta solidorum, in con-  
temtores Edicti Regi statuta, accipitur Carol. M. Capitul. Bai-  
vvariorum c. 3. p. m. 207. Bannus francilis, pro mulcta a franco  
& libero homine pendi solita Capit. Carol. Calvi, t. 33. vid.  
Gail. d. l. 2. c. 1. n. 4. Atque adeo, omni saepe proscriptionem,  
& relegationem, aut etiam ejectionem ac remotionem, ex  
consortio fidelium exque limitibus Ecclesiae, edicta non ob-  
temperantibus minarentur, bannum pro relegatione, pro-  
scriptione, & excommunicatione dictum, & relegatus, pro-  
scriptus, aut excommunicatus bannitus vocatus est. Ap-  
pellatur & alias excommunicatio bannus DEI in can. 6. Sy-  
nodii Confluentie, bannus Episcopalis can. 8. Concilii Triburien-  
sis, bannus Christianitatis in capit. Caroli Calvi, & in Concil. Co-  
loniensi part. 14. Can. 21. ibi. Ceteros omnes nobiles & ignobiles  
per bannum Christianitatis constringat. Ulterius bannus ac-  
cipitur pro congregazione per citationem coacta, wann  
durch ein allgemein Auflagebot die Einwohner/ so zum Kriege  
gebraucht werden/ zusammen gebracht seyn. Ita bannus Croa-  
tiae, bannus Galliae; Quemadmodum & bannum congregatio  
coacta monopolii exercendi causa. Sic bannum vini dicitur,  
quando Dominus territorii vinum se venditum edicit ad  
effectum, ut omnes alii vendere interim cessent, & qui em-  
turus est, a nullo alio quam a Domino emat, vid. Chartam  
Ebonis Domini Castris Meliandi, de immunitatibus hujus ipsi-  
us Castris, ibi: non licebit mibi, vel successoribus meis, facere  
bannum vini, nisi per 40. dies per annum, & sic quilibet homi-  
num meorum toto anno tempore libere, & sine aliqua contra-  
dictione, vendere poterit vinum suum. Patiter bannire ad fur-  
num est, quando Dominus cogit subditos suos, ut nullibi, nisi  
in

iu forno suo, panem coquant. Item bannire ad molendinum est, cogere subditos, aut alios, deferre sua frumenta molenda, Fulbertus Carnot. Epistol. 14. Nostris hominibus novam angariam induxit, banniendo scilicet, ut irent ad molendinum S. Audeni quinque leucis, ut fertur, ab eorum hospitiis remotum. Cujusmodi molendina dominica bannalia & furni bannales vocantur. Sed, quod obiter addo, temere aut pro libitu subditos ita cogere fas non est, nisi cum ipsis ita conventum, aut jus hoc cogendi præscriptione legitima fuerit quæsitum. Hart. Pistor. Obs. 200. n. 1. & 4. Carpz. P. 2. C. 4. d. 9. Struv. S. F. C. Ex. 43. t. 22. n. 3. Conf. Jason, in l. quo minus 2. ff. d. fluminib. n. 155 156. Bannire sylvam est ingressum ejus inhibere, Innocentius III. l. 13. Epistol. 93. Quod bannierant sylvam ipsam & fecerant custodiri. Bannum ferarum & bestiarum est inhibitio, qua prohibetur in certo loco captura aut venatio earundem. Barthol. Fisenius in hist. Leodiensi p. 273. Denique bannum pro certo districtu jurisdictionali, sive qui jurisdictioni alicujus subiectus est, sumitur, Ivo Carnotensi Epist. 133. Sed exequi haec latius instituti ratio non finit & præoccupavit hunc laborem Carolus du Fresne in Glosario, Speidelius in speculo sub voce Bannum & Bannus, Severinus Binus in notis ad Concilium Saleginstadiense, quod in Moguntinum vocatur, Tom. IX. Concilior. Col. 852.

III. Banna nuptialia sunt denunciationes, quibus indicatur Ecclesiæ inter hunc & illam matrimonium contractum, & propediem consummandum esse, cum connexa provocatione, & quasi citatione, ad eos, qui accusare illud ex legitima causa & volunt & possunt, ut hoc tempestive

peste agant, adjuncta simul poena silentii, &  
severa comminatione, quod, post destinati tem-  
poris lapsum, audiri amplius non debeant.

IV. Sedes Articuli de Bannis his Nuptialibus est, in  
Jure Canonico, potissimum in capit. fin. X. de clandest. de-  
spons. ibi, unde Predecessorum nostrorum vestigis inherendo  
clandestina conjugia penitus imbibemus, prohibentes etiam,  
ne quis sacerdos talibus interesse presimatur. Quare specialem  
quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter pro-  
rogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrabenda, in  
Ecclesiis per Presbyteros publice proposantur, competente cerimi-  
no praefinito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legit-  
imum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nibilominus in-  
vestigent, utrum a iquo impedimentum obstat. Quibus jun-  
gi debet cap. 27. X. de sponsal. & cap. 6. X. qui matrim. accusur.  
poss. quæ posteriora capitula sumvit Raimundus ex capitulo  
cum in tua, de sposal. in 4ta Compilat. sed truncu & mutila-  
to, de letis verbis; in Ecclesiis secundum consuetudinem Ecclesie  
Gallicana editis. vid. Cujacum ad dict. capit. 27. X. de spons.  
& capit. fin. X. de clandest. desponsal.

V. A Gallis institutum hoc primum originem traxisse  
reditur, postmodum vero in jus commune conversum ab  
Innocentio III. Pontifice in Concilio Lateranensi secundo Can.  
51. ex quo consecutum est, quod modo allegavi capit. 3. X. de  
clandest. desponsat. Et cum hæc ipsa sanctio sequentibus tem-  
poribus fere negligetur, ita ut illius vix usus aliquis fu-  
peresse videretur, vid Abb. ad cap. fin. X. de clandest. despons.  
Guttierez. de matrim. c. 51. n. 2. Sanchez de matrim. l. 3. disp. 5.  
n. 1. Petr. Suares in histor. Concil. Trident. lib. 8. p. 846. pristi-  
no vigori eandam restituit Concilium Tridentinum *Seff. 24.*  
*cap. 1.*

cap. i. ibi. Cui malo (matrimonii scilicet clandestinis) cum  
ab Ecclesia, que de occultis non judicat, occurri non possit, nisi ef-  
ficacius aliquod remedium adhiberetur, idcirco sacris Lateranen-  
sis Concilio sub Innocentio III. celebrati vestigiis inherendo praci-  
pit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a  
proprio contrahentium Parochio, tribus continuis diebus festivis  
in Ecclesia inter missarum solennia publice denuncietur, inter quos  
matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis,  
si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebratio-  
nem matrimonii in facie Ecclesie procedatur. Idem omnino con-  
stitutum est in Ordinatione Ecclesiastica Electorali Saxonica a D.  
Augusto Electore promulgata Artic. General. 13. vers. Es sollen  
aber. ibi. Es sollen aber diese Personen / so sich in ehelichen  
Stand zu begeben bedacht / zuvor 3. Sonntage nacheinander  
öffentliche aufgebothen / und wenn keine Hinderniß besunden/  
alsdenn eingefegnet und zusammen gegeben werden.

VI. Videtur autem bannorum horum usus in locum  
professionis aut notificationis matrimonii, quæ in primitivæ  
Ecclesiæ congregatione fidelium siebat, successisse. Solenne  
enim tum erat, ut novi sponsi lacerdotibus præsentarentur &  
ab his in fidem & mores inquireretur, ut patet ex Consilio  
Carthaginensi 4. can. 13. Hildebrand. de nuptiis veter. Christian.

VII. Et quidem, justissima ratione, & antiqua ista apud  
Ecclesiam facienda professio, & modernæ denunciationes, aut  
proclamationes, fuerunt introductæ, nimirum ut, si quod  
eslet obstaculum, ob quod dirimi inchoatum matrimonium  
possit, aut contrahendum impediti debeat, mature in medi-  
um consulteretur. Ambianates ad Tertull. lib. de pudicitia c. 4.  
obs. 3. Job. Seldenus de Iuxor. Hebraica l. 1. c. 28. ita enim sem-  
per fuit hæc sollicita Ecclesiæ cura, ut, quantum possibile est,  
præcaveretur, ne ulla labe Christianorum matrimonia con-  
taminarentur, cum ex adverso per clandestinas nuptias faci-

lis in adulteria, bigamiam & incestum sit prolapsus: Et jure ergo notam meretur Petrus Lombardus, Magister sententiarum dictus, qui l. 4. disp. 23. graviter, sed intempestive, in institutum hoc Ecclesiae censoriam stringit, ibi: *Banna vero, sic Jure nominari solita, hoc est, publice proclamationes, quae vetustam in quibusdam Ecclesiis originem duxerunt, & ab Innocentio sunt ad totam Ecclesiam generaliter prorogata, non ubiq. usq. & more perseverant.* Imo fortasse, nec tanti jam modo resert, ut tanto sint cum rigore observanda; Et mox atq. ideo consubstans sanctius ejusmodi forsitan esset, ut neq; particulares inferioresque antistites ejusmodi censuras de bannis adhiberent, imo ubi confitebitur nunquam aut vix unquam observari, sanctius esset ejusmodi bannorum ritum e medio tollere. Causa, quæ ipsum ad inventivam hanc permovit, ea fere est, quod per ejusmodi proclamationes sæpius calumniatoribus, iniquis matrimoniorum accusationibus, imo amplius veneficis incantationibus, quibus eo potissimum tempore, quo copula sacerdotalis fit, novis nuptiis noceri queat, occasio præberi possit. Sed abusus non debet tollere usum, inverecundisque accusationibus matrimoniorum & legum dispositione & prudenti judicis arbitrio occurri potest, adverlus magicas autem artes fide precibusque militandum est.

VIII. Subjectum activum bannorum est Parochus secundum sanctionem Concilii Tridentini, supra relatam, prius, ita quidem, ut non modo fas non sit a parochis, in exteris omnino locis constitutis, ea expediri, sed etiam si in eo loco, ubi denunciations faciendæ, plures Ecclesiae sint, præcise in parochiali fier idebeant, Sanchez de matrim. l. 3. disp. 6. n. 3. & ita quoque consuetudine observari testatur Hofstiensis ad caput. fin. de cland. despensi. Job. Andreæ ibidem n. 1. sed hoc tamen ita procedit, si diversum alicubi non fuerit introductum. Sane hic Lipsiae banna fere in Ecclesia ista, in cuius paro-

parochia; celebritas nupcialis instituitur, eduntur, licet alterius parochiae sponsus, aut sponsa, aut utrique etiam sint adscripti; ex speciali consuetudine, quæ de cetero tamen proprio parochiano jus parochiale non adimit. Aliam limitationem vid. *infra. n. 14.*

IX. Subiectum passivum sunt persona matrimonii contrahentes, & quidem omnes, nisi peculiari privilegio a legi sanctione exemptæ, vel tales sint, ad quas sanctio ista omnino non pertineat, vel quæ peculiarem dispensationem, quo minus proclamari debeant, impetrarunt, quo de infra n. 23. Illud non interest, an primum matrimonium ineatur, an ad vota secunda fiat transitus; Nam utroque casu banna esse necessaria dubio caret, si quidem impedimenta non minus secundi, quam primi matrimonii, ante illius consummationem, expendi par est, ne crebra matrimoniorum rescissio & privatis & Reipubl. sit noxia; ipsaque *Constitutio Sax. art. gen. 13. versu.* Es sollen aber ic. non distinguit; lege itaque non distinguente nec nobis distingendum est *l. 8. ff. d. public. in rem act.*

X. Forma proclamationis, alaest impetranda, alia expedienda, alia denique, si in dubium vocetur, probanda. Ad formam petendæ seu impetrandæ secundum *Ordinat. Eccles. ast. Elec. art. 13.* pertinet, quod impetrari debeat ab ipsis proclamandis, ita ut coram parochio ipsimè compareant, & considerium suum exprimant, *d. art. 13. vers. erslith.* ibi: soll ver Pfarrer Sie in eigener Person &c. quæ tamen sanctio porissimum ad rusticos & homines de plebe pertinere videtur.

XI. Formam expediendæ quod attinet, ad duo potissimum attendendum, scilicet ad diligentem inquisitionem, quæ præmittenda expeditioni, tum deinde ad denunciacionem ipsam legaliter faciendam. Quæ ratio inquisitionis sit, nullibi rectius, quam in laudata jam Ordinatione Ecclesiastici

ea Saxonica docetur, dicto Articulo Generali 13, cuius verba  
hæc sunt: Dieweil sich mehrmals grosse Unordnung zuträgt/  
wann auff einen überschickten Zettel/ oder eines einigen Men-  
schen Anzeigen/ neue Ehe- Leute von der Kirchen auffgebothen/  
und nachmals darauff copularet werden/ sollen allerley Gefahr  
und der daraus erfolgenden Beschwerungen des Gewissens/  
Blut- Schande/ Leichtfertigkeit und Unzucht zu verhüten/ die  
Kirchen- Diener nachfolgender Ordnung iederzeit unnachlässig  
und gehorsamlich sich verhalten; Erstlich wen n neue Ehe- Leute  
sich bey dem Pfarrer iedes Orts anmelden/ soll der Pfarrer sie ei-  
gener Person/ und da sie noch in Jungfrau- Stand/ auch ihre El-  
tern/ Vormündere/ oder nechste Verwandte/ so bey dem Verlob-  
niss gewesen/ zu sich erfordern und sie befragen/ ob dies Verlob-  
niss mit der Eltern u. Vormünder Wissen u. Bevilligung ge-  
schehen, ob sich keines unter ihnen beyde hievor mit einem andern  
ehelich verlobet/ ob sie ein ander nicht mit Blut- Freundschaft o-  
der Schwägerschaft verwandt/ daß sie nach Götliche und Käy-  
serliche Rechten/ auch unsers Landes Constitution und jüngst aus-  
gegangenen Ehe- Ordnung/ einander nicht ehelich bewohnen  
könten, und da zwischen ihnen eine Freundschaft/ in welchem Gra-  
du? Der Pfarrer soll auch mit Fleiß erkundigen/ ob sie öffentlich  
in der Kirchen mit der Gemeine Gottes das Hochwürdige Sa-  
crament des Leibes und Blutes Christi empfangen haben/ und  
da es junge Leute/ ob sie auch ihren Catechismum gelernet/ ohne  
dessen Erfährtmuss sie nicht auffgebothen werden sollen. Quibus  
addi debet, quod si parentes adhuc sint proclamandis, & de  
eorundem consansu satis non constet, d-que eo, forte pro-  
pter nimiam locorum distantiam, aut alias concurrentes cir-  
cumstantias, certior redi non posit Pastor; item si ex locis  
dislisis proclamandi advenerint, & testimonio fide digno do-  
ceri haud queat nullo matrimonij nexu aliis eos esse obstri-  
ctos, quam cum quibus nuptias jam celebrare intendunt, hoc  
agen.

agendum esse , arbitrio Consistorii , ut & coelibatum , & hoc  
Juramento confirment , parentes revera consensisse , aut sal-  
tem credere se , non esse dissensuros , si scirent matrimonium  
hoc iniri fac . l . 11 . ff . de Rit . nupt . verbis dummodo eam filius  
ducat uxorem , vel filia tali nubat , cuius conditionem certum  
sit patrem non repudiaturum , aut si velit etiam repudiare , ei-  
dem hoc permittendum non esse . j . l . 1 . § . f . ff . jur . delib . l . 37 .  
ff . d . leg . Porro si viduus , aut vidua , ad secunda vota transeat ,  
constare debet de obitu prioris Conjugis & tempora luctus  
esse exacta . v . Elec . Sax . Ord . Matrim . d . A . 1624 . punct . 5 . § .  
Was endlich . ubi : so wollen wir daß hinführte ein Witwer zum  
wenigsten ein halbes / eine Witwe aber ein ganzes Jahr ihre  
Trauer Zeit halten / und vor Ausgang desselben sich wieder zu  
verehlichen oder Hochzeit anzustellen nicht Macht haben soll .  
Carpz . l . 2 . Ipr . Eccl . def . 106 . & seqq . quandoquidem , si hoc  
non liqueat , ad proclamationem procedendum non est , nisi  
forte , circa luctus tempora , Princeps , aut cui Jura Episcopalia  
cum Jure superioritatis territorialis competunt , dispensa-  
verit , d . Ord . Matrim . d . § . verbis : es geschehe denn mit unser  
sonderbahren Dispensation und eigener gnädigster Verwilligung .  
sua enim lege superior Princeps , obligationem ex eadem  
nata remittit . a . l . f . C . d . leg . Carpz . d . l . 2 . def . 102 . &  
seqq . Quod si prius matrimonium per divortium fuerit so-  
lutum , aliter ad secundas nuptias , & sic etiam ad proclama-  
tionem , progrediendum regulariter non est , nisi illas permi-  
serit Consistorium , quod decori hac in parte habens ratio-  
nem , citius masculo quam foeminæ , quia prægnans esse pot-  
est , ulteriores nuptias indulget . Carpz . d . l . 2 . def . 105 . Si et-  
iam alicubi peculiari lege cautum fuerit , viduum aut viduam  
ad secunda vota transire non debere , nisi liberis prioris matri-  
monii ea , quæ ex bonis prædefuncti Conjugis iis praestanda  
sunt , præstiterit ( bis siemt ihren Kindern ersterer Ehe des Va-  
ter

ter oder Mutter, Theils halber Richtigkeit getroffen) An hoc quoque factum, nec ne, disquirendum est. *Carpz. d. l. 2. def. 371.*  
Per legem tamen hic intelligo eam, quæ aut promulgata, aut confirmata saltem est, a superiori, nec integrum esse magistrati inferiori puto, vel statuto, vel alio quoconque ius, matrimonii consummandis hujusmodi impedimentum posse, quantumvis ipsi causa satis justa, aut non iniqua videatur: id quod desiderat deficiens in hoc Magistratu legis condendæ facultas, & conjugii, in utilitatem Reipubl. promovendi, singularis favor. *a. l. 1. ff. filius. matr. l. 7. §. 3. d. bon. damn.*  
satis igitur est alia legi convenienter, quam hac via liberorum securitati consuli. *Carpz. d. l. diff. Brunnemann. Jur. Eccles. l. 2. c. 17. §. 10. & ad eund. Stryk. in Suppl. p. 671. Conf. Mevius ad Jus Lube. Part. 2. t. 2. art. 20. n. 23. it. in addit.* Quod si vero Pastor obstaculum aliquod legitimum subesse deprehendat, non ipsemet desuper feret sententiam, sed ad Consistorium rem omnem deferet, ejusque decisionem, & instructionem, expectabit. Huc pertinent verba *Art. Gen. 13. §.* Auch so &c. Auch soll kein Pfarrer in kleinen Städten/auff den Dörfern/ oder Diacon in Städten Ehe/Sachen zu richten &c. sich unternehmen/ sondern dieselbe vor ihre geordneten Superattenden zu verhören und zu verrichten wissen/ welche im Fall der Noth durft/ da ihnen die Sachen zu schwer oder dermassen verwirrt/ daß sie Gerichtlich zu entscheiden/ ferner an das Consistorium remittieren sollen. *j. Carpz. d. l. 2. def. 138. Schilter Inst. Jur. Canon. l. 2. tit. II. §. 6.*

XII. Circa ipsam denunciationem seu bannitionem, ut legalis illa sit, quinque potissimum observare debent: scilicet ut fiat (1) formula solenni, (2) modo decenti, (3) tempore consueto, (4) in loco convenienti & (5) tribus vicibus. Formula solennis comprehendere debet, partim notificacionem, qua Ecclesiæ intimatur, hos vel illos matrimonium es-

se iniuros, partim admonitionem, qua provocantur, & quasi  
edicto publico citantur omnes illi, qui accusare hoc matri-  
monium, ex legitima causa, & possunt & volunt, ut tempe-  
stive hoc agant, cum adjuncta poena silentii & diserta declara-  
tione, quod post destinati temporis lapsum audiri amplius  
non debeant, quibus jungitur tum intercessio ad Ecclesiam,  
ut illa matrimonium hoc precibus suis commendet Deo, tum  
pium votum, ad eundem, ut felix & faustum idem esse jube-  
re velit, vid. Dn. Stryk. ad Brunn. ius Ecclesiast. l. 2, c. 16, §. 6.  
Beust, in Tract. de coniub. p. 2, in prefat. Berlich. p. 1, decif. 76. In  
nostris Ecclesiis ea fere formula ad liberi soler: Nachfolgende  
Personen seynd gesonnen sich in den heiligen Ehe. Stand zu be-  
geben/ und begehrten E. Christliche Liebe Vorbitte/ und werden  
auffgebothen zum ersten [anderm und dritten] mahl er N. N. und  
N. N. Hat jemand darein zu reden / der thue es bey zeiten und  
schweige hernachmahls stille / Gott aber gebe ihnen seinen  
Segen.

XIII. Ratione modi fieri debet bannitio, aut procla-  
matio, viva Pastoris voce, non, ut olim, edictis in scriptis  
propositis, quæ valvis sacrarum Aedium assigebantur teste  
Panormitanus ad Capit. fin. X. de clandest. despens.

XIV. Quod ad locum attinet, distinguendum est, an  
uterque futurorum Conjugum sub una eademque parochia  
domicilium habeat, natique & commorati fuerint, an vero  
sub diversis; Priori casu satis est, si in Ecclesia illius loci, ubi  
modo degunt sponsus & sponsa, proclamatio fiat; Posteriori  
vero, & si scilicet contrahentes matrimonium, aut alteruter  
eorum, peregre advenerint aut diu sub diversis Parochiis com-  
morati fuerint, omnino requiritur, ut ubique seorsim novum  
matrimonium denuncietur, id quod jam dudum placuit Pa-  
tribus Concilii Mediolanensis III, tit. de iis que ad matrimonii  
Sacramentum pertinent. Tom. IX. Concillior. pag. 526. col. 1, lit. C.  
Ger-

**G**erhard. de Conjug. §. 363. Carpz. l. 2. Jpr. Eccles. def. 139. Gonzalez. in Comment. ad c. 3. X. de cland. despont. n. 7. Idem D. Johannes Georgius Imus Elector Saxonie in Ordin. matrim. de A. 1624. punct. 5. rubr. von der Copulation und Hochzeiten. §.  
So dann die neuen Ehe-Leute statuit, severe mandans, ne pastores desponsatos copulent, priusquam de proclamatione omnibus in locis, sive habitationis sive educationis aut commemorationis, rite facta, certiores redditi fuerint; verba sanctionis Electoralis haec sunt: So dann die neuen Ehe-Leute sie seyn jung oder alt/ welche sich auffzubieten begehrn / nicht in einer Stadt oder einem Dorffe wohnen/ soll der junge Gesell von dem Pfarrer/ in dessen Kirch-Spiel die Jungfrau wohnet/ so ihm verlobet ist/ ein Zeugniß nehmen/ an seinen Pfarrer/ da er gebohren/ oder erzogen/ und sich daselbst/ als da er bekant/ auch auffzubieten lassen/ und derhalben nachmals diesen Pfarrer ein Zeugniß von seinem Pfarrer bringen/ ohne welches ihn der Pfarrer nicht auffzubieten noch trauen soll. add. Job. Cabassutius in Theoria & praxi juris Canon. l. 3. c. 20. n. 2.

XV. Ratione temporis in Concilio Ravenatensi II. sub Clemente V. P. R. circa annum Christi 1311. habito, tit. 19. de clandest. despont. cautum est, ante contractum matrimonium, seu ante sponsalia, banna seu edita haec proponi debere, junge Kizel. in Synops. matrim. c. 4. tb. 6. ubi Francofurti ad Moenum idem servari tradit; Ast vero universali fere, aut plerorumque tamen locorum, consuetudine invaluit, ut non nisi jam celebratis sponsalibus, aut quando consummandum est matrimonium benedictione Sacerdotali, proclamationes haec fiant. Illud in Constitutionibus Ecclesiasticis diserte sanctum est, non nisi diebus dominicis, easdem instituendas esse, scilicet quia tunc major auditorum numerus esse solet, adeoque facilis ad notitiam eorum, quorum interest, matrimonium, quod intenditur, pervenire potest, d. Ord. Matrim. d. A. 1624. punct.

punct. 5. §. Es sollen verbis: zuvor drey Sonntage nach einander öffentlich aufgeboten werden. *Carpz. Jpr. Conf. l. 2. d. 137.*  
n. 8. Expediri easdem posse Adventus item quadragesimali aut alio tempore, quo nuptias celebrare propter interdictum Ecclesie non licet, docet *Barbosa de offic. paroch. c. 11. n. 22.* & praxis Ecclesiastarum nostrarum servat, siquidem tum de nuptiis non celebrandis, sed præparandis eorundemque impedimentis cognoscendis, agitur.

XVI. Quoad numerum proclamationum & bannorum variatum est in Ecclesia. Utique enim ex sanctione Innocentii in cap. 3. X. de clandest. desp. arbitrio parochi relatum videtur, an semel saltem eadem facere, an saepius repetere velit, sed ita tamen, ut terminum ipse præfigat intra quem ad accusationem & testificationem venire liceat. d. c. 3. X. de clandest. desp. vid. *Filescaccum de orig. parochiar. c. fin. jac. Cujac. ad cap. cum in tua de cland. desp. in 4ta compilat. sed in Concilio Tridentino sess. 24. c. 1.* statutum est trinas denunciations fieri debere: ibi: ante matrimonii consummationem trinae denunciations in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut predictæ denunciations remittantur, quod illius prudentia & judicio sancta Synodus relinquunt. Idem præceptum est in Electoratu Saxonie, & eidem incorporatis Provinciis, per Ordinationem Ecclesiasticam D. Augusti de A. 1580, in Art. General. tit. 13. Von der Copitulation und Hochzeiten vers. Es sollen aber ibi: Es sollen aber die Personen/ so sich in den Ehelichen Stand zu begeben bedacht/zuvor 3. Sonntage nach einander öffentlich aufgeboten/ und wenn keine Hinderniss gefunden/ alsdenn eingesegnet/ und zusammen gegeben werden. Amplius & ante tempora Concilii Tridentini hanc consuetudinem observalie Ecclesiam Anglianam testantur Gyliemus Lindvodus in Provinciali Cantuariensi l. 4. tit. 1. ibi:

*ibi : In matrimonio quoque contrahendo, semper tribus diebus dominicis, vel festis a se distantibus, quasi tribus editiis perquirant Sacerdotes a populo de immunitate sponsi & sponsae.*  
Eiusdem tenoris est Concilium Provinciale Coloniense An. Christi 1536, celebratum part. 7. c. 44. *ibi: Ne Sacerdos ante quoslibet conjugio jungat, nisi editiis aut proclamationibus tribus publice e suggestu ad populum factis precedentibus, ob multas ac varias fraudes evitandas.* Estque hæc plerarumque Ecclesiarum modernarum observantia, nisi quod de Francofurtana ad Moenum, unicum ibidem proclamationem sufficere, testentur Speidelius *in speculo sub voce Chez Verkündung* & Kizelius *in Synopsi matrim. c. 4. theor. 6. lit. G. & H.* confer, Dn. Brunn, *jus Ecclesiast. l. 2. c. 16. n. 6. & ibi Dn. Stryk.*

XVII. Quodlibet necessitas probandi alicui injungatur bannitionem seu denunciationem fuisse factam, fieri illa potest vel per testes ex iis sumendos, qui sacris interfuerunt, cum novi conjuges proclamarentur, vel per libros Ecclesiæ quibus hujusmodi proclamationes, & quidem quando & quomodo factæ fuerint, inscribi solent, hujusmodi quippe libris legitime confessis plena fides habetur. *Conf. Carpz. Ipr. Conf. l. 2. d. 142. n. 18.*

XVIII. De fine harum proclamationum ex hac tenus traditis abunde constat, nimurum ut matrimonia ineunda innoescant, & si quod impedimentum obstet, quo minus per leges, sive divinas, sive humanas, licita reputentur, aut si personæ proclamatæ antehac alii fidem de matrimonio dererint, is jus suum tempestive possit persequi & accusare, quæ nunc intenditur, matrimonialem conjunctionem. *Carpz. Ipr. Eccles. l. 2. def. 138. n. 10. Dn. Ziegler, ad Lancell. l. 2. tit. 14. §. 1. Gerhard. art. de conjug. n. 461.* Sed & hoc ad finem pertinet, ut Ecclesiæ precibus futuri conjuges DEO commendentur. *vid sup. n. 12.*

XIX. Ef-

XIX. Effectus bannorum aut proclamationum nuptiū  
liū consistit in eo, quod habeant vim trinæ peremptoriæ  
citationis, & injungant perpetuum silentium illis, quibus pro-  
pter anteriora sponsalia actio desponsu contra proclamatos,  
aut proclamat, competit, quive tempore horum banno-  
rum jus suum persecuti non sunt, non secus, ac si ex lege dif-  
famari rateret jussi fuissent, cap. cum in tua X. qui matrim. au-  
cus. poss. cap. cum inhibitio 3. X. de clandest. despons. Ast utrum  
statim, cum tertia proclamatio facta est, injunctio silentii  
contingat, an ille, qui jus accusandi habet, adhuc persequi  
hoc possit, donec copulatio sacerdotalis secuta fuerit, qua-  
ritur? Prius statuit Matth. Berlich. p. 1. Decis. 76. n. 3. ibi: ideoque  
placet, quod post trinam proclamacionem factam quispiam ad  
impediendum matrimoniorum amplius non admittatur, etiam si  
illud benedictione sacerdotali non fuerit consummatum, & huic  
sententiæ adstipulatur Dn. Zieglerus in Comment. ad Lancellot.  
l. 2. tit. 15. n. 1. sed verius esse posterius, mihi quidem, vel ex  
hoc solo probari posse videtur, quod etiam in tertia procla-  
matione potestas conceditur accusationem, si illa competat,  
proponendi per verba conservata: Hat iemand etwas daren zu  
reden/ der thue es bey zeiten xc. quod utique frustra fieret, si  
injunctum silentium esset simul atque finit proclamatio-  
nem pastor, cum sane nemini fas sit in ipsa congregatiōne  
Ecclesiae actionem suam proponere. Utique si matrimonii  
accusationem suscepturnus calumnioso in ultimum momen-  
tum, quo ad benedictionem sacerdotalem procedendum  
est, eandem distulerit, præcludi eum & posse & debere faci-  
le largior arg. c. fin. X. qui matrim. accus. poss. Ceterum si pro-  
clamatio aut legitime facta non fuerit, aut innotescere accu-  
santi non potuerit, deficiente calumnia, adhuc matrimonii  
accusationem, Judicis arbitrio accidente, admittendam es-  
se puto, illud tamen, quod in Concilio Provinciali Narbonensi

A. C. 1551. habito can. 53. statutum , debere nimirum inter bannum tertium & copulam sacerdotalem , triduum' intercedere, in Ecclesiis nostris non observatur, sed eo ipso die quo tertia proclamatio facta, copulatio hæc fieri potest. Licet autem perdat is, qui ita siluit, jus agendi, quod habuit, nihilominus tamen integrum est Magistratui vindicare crimen binorum sponsaliorum, a. l. 9. §. 5. ff. d. public. & vec̄tig. Conf. Ehe. Ordin. d. A. 1624. punct. i. Von Ehe. Gelöbnissen. S. wann sich. & seqq. it. Carpz. P. 4. c. 20. d. 5. § 6.

XX. Ad effectus quoque bannorum hoc referri mereatur, quod, si per proclamationem accusatio aliqua matrimonii fuerit excitata, eademque legitimis suis requisitis constet, pastor copulationem sacerdotalem denegare, & rem illico ad Consistorium, cui subjectus est, referre teneatur. capit. fin. versu cum autem. X. d. domest. dispons. Art. gen. 13. §. Es sollen &c. ibi: und wenn keine Hinderniß besunden/ alsdenn eingesegnet werden.

XXI. Ulterius insignis harum denunciationum effectus spectatur in eo, quod iis rite præmissis, solennique in Ecclesia benedictione subsécuta, si postea ob impedimentum aliquod conjugium declaretur nullum, liberi nihilominus ex ea conjugione, ante judicis decretum pro nullo declaratorum, nati, vel concepti saltem, justi omnino censeantur & legitimi, dummodo tempore initi matrimoniī impedimentum illud contrahentibus, vel saltem alterutri ignotum fuerit. capit. cum inter. II. cap. extenore 14. X. qui filii sunt legit. jung. l. 57. §. 1. ff. d. rit. nupt. atque in hanc sententiam pronunciauit Inclitus Senatus Appellationum Elef. Saxon. d. 15. Jul. 1674. in causa M. W. Africis, contra J. G. S. Reum & H. H. Intervenientem. Loquuntur quippe acta publica J. G. S. fidem primum dedisse de matrimonio M. W. clandestine quidem, sed addita copula carnali, post vero cum H. H. matrimo-

trimonium contraxisse, atque ex eo liberos aliquot suscepisse: Cum itaque M. W. ad rescissionem matrimonii, cum H. H. initi, ageret, peteretque ut J. G. S. secum illud consummaret per benedictionem sacerdotalem, contra vero H. H. pro se & liberis suis interveniret, & allegaret bona fide a se matrimonium esse contractum proclamationesque publicas factas, &, licet M. W. durantibus istis novum hoc matrimonium accusasset, hanc tamen accusationem sibi non innotuisse, minus multo inhibitas a se celebratas nuptias; insuper innocentissimos liberos pro illegitimis non esse declarandos, quod utique fieret, si matrimonium hoc nullum diceretur, sequens definitiva lata est:

Dass die eingewandten Appellationes in ihren Formularen beständig und zu gebührender Rechtfertigung anhero erwachsen/ Materialia und zwar Rkt. Appellation betreffend erscheinet aus denen Aeten und der Parteien rechtlichen Einbringen so viel/dass wohl appelliret, dahero die Intervenientin sich Beklagtens Bezugswohnung hinführte gänglich zu enthalten/ Beklr. aber derselbigen/ bisz zu ihrer anderweit Verehligung/ wie auch denen mit ihr erzeugten Kindern gebührende alimenta, auff der Obrigkeit Erkänntniss und Moderation, zu verschaffen schuldig. Jedoch solches alles Intervenientin und NB. ihren Kindern an ihren Ehren und guten Mahnen unnachtheilig/ hingegen wird Beklr. wegen seiner Leichtsinnigkeit und gegebenen grossen Aergerniß von der Obrigkeit allhier billig in Straffe genommen.

XXII. Agendum nunc est de Contrariis Bannorum Nuptialium, quæ ad duo potissimum capita, ad contemtum nimirum, & dispensationem, haud incommodre reduci posse arbitror; Contemtum intelligo eum, quo lex & institutum Ecclesiæ de bannis faciendis spernitur, &, sine illis praeviis, matrimonium consummatur. An vero hoc matrimo-

nium nullum omnino sit, nec ne, valde controversum est inter Juris Pontificii Dd. Inter affirmantes est Jobannes d. Avezan, de Spons. & matrim. tract. 2. c. 13. it. Jacobus Menochius Consil. 69. & Consil. 398. Inter negantes Paulus Christinus vol. 1. Decis. 327. & Gutierrez d. juram. confirm. p. 1. c. 57. n. 25. Ubi contra Menochium disputat. Negativa ve-  
rior est ; cum banna sint quidem de necessitate præcepti,  
non autem de essentia matrimonii , & nullitas actus te-  
mtere, atque citra legis constitutionem, statui haud debeat:  
nullibi vero matrimonium hujusmodi, quod banna haud  
præcesserunt, pro nullo declaretur, quin potius ejusdem  
validitas agnoscatur in c. 3. X. d. cland. desp. §. sane, ubi: sed  
bis qui taliter (clandestine scilicet vel post interdictum matri-  
monium) præsumferint etiam in gradu concessa copulari,  
condigna paenitentia injungatur. Quamvis autem nullum  
non sit, jure merito tamen in contemtores Legum Ecclesia-  
sticarum severe animadvertisendum. Cypraus de jur. connub.  
c. 11. §. 13. n. 2. Ubi viduam quandam locupletem in Stra-  
dia magnam pecuniae sumam exolvere coactam fuisse re-  
fert, quod, absque præmissis in Ecclesiis denunciationibus,  
nuptias contraxisset. add. Menzer, de Conjug. pag. 171. Dan-  
bauer. in Theol. Confident. tom. 1. part. 2. dial. 3. quest. 24. Dn.  
Stryk. ad Brunn. Jus Eccles. l. 2. c. 16. n. 6. In Parochum Per-  
sonas non proclamat copulantem in capit. fin. §. sane. X.  
de clandes. desp. triennialis suspensio statuta est: Quæ  
poena tamen, nostris moribus, non una semper & perpetua,  
sed pro ratione circumstantiarum, & prout vel ex negligen-  
tia, vel ex temeritate, peccatum est, arbitraria esse potest.  
Qualem etiam in universum injungendam monet Cypraus  
d. c. 11. §. 13. n. 2. Illud omitendum non est, Concilium Bi-  
turicense A. C. 1286. habitum non contentum esse poena  
parochio, & novis nuptiis, irroganda, verum insuper excom-  
munica-

municationem minari etiam cooperatoribus, & iis omnibus, qui scientes banna nulla præcessisse, actui copulationis conjugalis interfuerunt, *vid. Tom. XI. Concil. Col. 1248. in dicto Concil. Bituriensi Can. 2.*


XXIII. Dispensatio est relaxatio legis, & exemptio ab obligatione ejusdem, vel ex ipsa legis dispositione, vel ex gratia superioris contingens. Lex ipsa dispensare dicitur, quando generaliter jubet, sed a jussu hoc suo certam personam, aut certum personarum ordinem, peculiariter immunem facit. Et ergo lex, circa præceptum de bannis nuptiis præmittendis, dispensat, quando in aliquibus provinciis Nobilibus, aut aliis Illustribus personis in iisdem degentibus, atque Dominum Regionis pro superiori recognoscientibus, etiam sine illis consummare matrimonium indulgetur. Male vero dispensatio legis prædicatur de iis, qui legi omnino non sunt obnoxii, atque adeo, quando Principum aut Comitum, superioritate territoriali gaudentium, matrimonia Ecclesiæ non denunciantur, non hoc sit ex legis dispensatione, sed potius, quia lex nulla eos ad hoc adstringit. Sane enim aliorum legibus proclamationem imperantibus non subjecti, propriis autem superiores sunt, imo ejusmodi illustrium personarum sponsalia, plerumque semper, etiam ante consummationem matrimonii, ita nota sunt, ut denunciatione nulla indigeant. *Havemann. in Gamologial. 2. tit. II. posit. I. n. 4. Cypreus de jur. connub. p. I. c. II. §. 13. n. 3. Kizel. in synops. matrim. c. 4. theor. 6. lit. H. Speidelius sub voce Bann.*

XXIV. Ex peculiari indulgentia gratia legis fieri potest apud Pontificios ab Episcopo, ejusque Vicario. *Concil. Trident. sess. 24. c. I.* Apud Protestantes vero ab iis, quibus competit Jus Episcopale, non etiam unda Jurisdicçio Ecclesiastica, adeoque regulariter Consistoria hanc potestatem si-


bi

bi tribuere non debent, nisi casus necessitatis subsit, *Carpz.* l.  
2. *Jpr. Eccl. def.* 139. 140. 141.

XXV. Sed quando aut plane omittuntur, aut contrahuntur proclamationes, ita ut una aut duæ forte pro tribus fiant, quod non raro contingit, & non improbat *Carpz.* l. 2. *Jpr. Eccl. def.* 140. quæritur an & tunc, subsecuta benedictione sacerdotali, cellet actio desponti? Negativa mihi verior videtur per saepe dictum cap. *cum in tua.* 6. X. qui matrim. accusar. poss. ut in quo cautum est, quod si quis tempore banni absuerit, aut alia ratione illud ad notitiam ejus pervenire haut potuerit, accusatio ipsius audiri omnino debeat, proclamatione quantumvis facta; potius igitur audienda erit accusatio, quando eam aut nulla, aut non conservata, proclamatio praesens. arg. l. 32. ff. ad L. *Aquil.* l. 21. ff. d. R. J. *Confer. ziegler. ad Instit. Jur. Canon.* l. 2. tit. 15. §. 1. verb. minime Sc. Et quid operari possit comminatio silentii, ubi nullum spatium contradicendi relinquitur? Jus Civile quidem unam citationem peremptoriam pro trina simplici admittit, sed non aliter, nisi trium simplicium tempus contineat. a. l. 69. l. 72. ff. de judic. Et ergo rectius forte dispensationes hujusmodi denegantur, nisi satis constet, inter partes despontatas nullum impedimentum, vel sanguinis, vel alterius despontionis, vel simile quid, quod nupiarum consummacionem remorari possit, adesse, vid. *Dn. Stryk. ad Dn. Brunnem. jus. Eccl.* l. 2. c. 16. §. 6.







99 A 6972

ULB Halle  
002 823 799

3



Sb.

Retrav





C. B. D.  
EXERCITATIO. JURIS. CANONICI.  
*De.*  
**BANNIS NUPTIALIBUS.**  
Von  
Abf<sup>ü</sup>ndigung oder Aufgebot  
der Ehelich=Verlobten/  
*QUAM.*  
**JUSSU. ILLUSTRIS. JCTOR.**  
ORDINIS. IN ACADEMIA. LIPSIENSI.  
PRO.  
**LICENTIA. DOCTORALI.**  
IN. LITROQVE. JURE,  
VENTILANDAM. PUBLICE. EXPONIT.  
*AD. D. IX. MARTII*  
**Jo. FRANCISCUS. BORN. LIPSIENSIS.**  
*Ao. R. M. DC. XCIII.*

---

LIPSIAE.  
Literis. ANDR. MART. SCHEDII, 1716.